



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. V. Quarta. Pecunia collata stet periculo Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

nam in foro externo conferenti pecuniam in usum malum, non dationem, immo eum puniri debere, jam scio; vide *Leges citatas*, ff. pro Socio.

3. Vt allata distinctionis aliud exemplum habeas, fac, duos, vel plures per Societatem coire, ut occidant, v. g. Petrum, spe, vel promissione acquirendi centum aureos ab eisdem Petri inimico. Hi profecto ante patratum scelus semper obligantur, iniquam hanc conspirationem deponere. At verò, si iniquitate persistente, facto ab omnibus imperu, collatoque sibi invicem auxilio, Petrum occidant cum equali periculo, ne ipsi potius occidantur, quam Petrus, & ne à Principe equali morte puniantur, non erit æquum, ut unus tantum acquirat centum prædictos aureos, & nihil Socii participant de lucro.

4. Quod si conferas tuas pecunias cum aliquo, qui illis pecuniis usus exerceat, non est mirum, si tu nihil debeas participare de lucro, nam neque ille alius participare poterit, quia tunc totum lucrum est restituendum illi, à quibus acceptum contra Iustitiam est: at in exemplis prædictis, in quibus, post patratum scelus, pecunia, ex probabili sententia, retineri potest, ut *L. 7. in Dec. c. 5. §. 3.* & *n. 8.* docuimus, sanè militat nostra doctrina.

5. Ex qua sic breviter, distinguendo, concludere, nullam esse Societatem ante factam negotiationem inhonestam, quia est rescindenda; post factam autem, tunc solum esse nullam, & totum ejus lucrum restituendum ei, à quo receptum fuit, quando lucrum fuit contra Iustitiam commutativam receptum, non verò alias.

CAPVT IV.

Vt æqualitas servetur in conferendo.

Quæ est Condicio Tertia.

1. **P**rofecto non est æquum, ut tu, v. g. conferas centum, & alius, v. g. decem, addito pacto, ut æquale deinde lucrum reportetis. Quare, vel tunc æquales sunt in æstimabilitate partes, quas uterque conferat, vel certè lucrum, quod tu recipis, sit ad ratam ejus, quod contrulisti; ut in quinta Conditione dicemus.

2. Vt autem magis explicetur hæc conditio dictam æqualitatem requirens; queritur hic: An licitum sit, iniire Societatem ita, ut unus solum conferat pecuniam, alter verò solum operam, seu industriam, vel solum instrumenta, ut equum, navigium, molendinum; vel suam materiam, ut lapides, cementa, ligna, & similia ad susceptam negotiationem necessaria; & facile respondeatur, esse licitam, §. *De illa, Infit. de Societ. L. Si non fuerit, ff. de Socio*, quia opera, vel illa cetera æqualem possunt habere æstimabilitatem cum pecunia collata, æqualiterque ad lucrum intentum percipiendum.

3. Subinquiritur: An eum alter pecuniam, centum, v. g. aureos, alter operam contribuit, debeat, (ut servetur æqualitas collationum) comparari opera ad totam pecuniam, ad centum, v. g. aureos prædictos, an solum ad periculum, quo centum illi aurei possint in negotiatione deperdi? Quod periculum licet aliquando multum esse possit, aliquando tamen, valde erit exiguum, quando scilicet negotiatio suscepta, est valde secura, & tuta. Subinquiritur, inquam, an in casu periculi exigui, cui exponuntur centum prædicti aurei, quod periculum sit, v. g. ut tria, debeat alterius socii operæ æstimabilitas esse, ut centum, an verò, ut tria duntaxat.

4. Respondet Sotus, lib. 6. de Iust. q. Carr. 1. debere operam comparari ad periculum; Unde in exemplo allato, debere operæ æstimabilitatem esse, ut tria. Ratio est, inquit, quia ipsa pecunia ex se est sterilis, opera verò est fructifera, paritque lucrum: ergo, si opera comparari deberet cum pecunia, sequeretur, quod, qui confert operam in contractu Societatis, ubi intenditur partus, ut ita di-

cam, lucri, totum conferret, & qui pecuniam conferret nihil: probatur consequentia, quia cum pariter ad fructum lucri, sed totum conferret, qui confert operam, quæ sola fructum parit; Si igitur æquitas in hoc Societatis contractu velimus, ut certe vellemus, tanta vel æstimabilitas operæ unus socii, quantum periculum pecuniæ alterius, & non quanta est pecunia. Hic mihi videtur esse discutius clare expolitus Sotus in citato.

5. Nihilominus merito Navarrus in *summa*, cap. 1. num. 25. 1. asserit, hoc esse novum inventum Soti, Cui Navarro sententiæ Lessius, lib. 2. cap. 25. n. 14. & Valerius tam. 3. in 2. 2. d. 5. q. 24. p. 1. debet enim haberi comparatio ad pecuniam, nec solum ad periculum, cui exponitur pecunia. Ratio est duplex: A priori, quia quilibet propter lucrum reportare ex se suæ ergo ex pecunia sua etiam in securissima negotiatione, & præcendendo à periculo, erit enim ex se pecunia sit sterilis, est tamen, ut habet negotiationi, multum ferax: cum ergo socius contribuat pecunias, quæ sunt præcipuæ radices lucri (nam opera sine illis inanitas) non est defraudandus suo contigendi lucro: A posteriori, quia id esset contra naturam omnium Mercatorum immò Fidelium, etiam minime conscientiarum; quando enim confert Socius mille aureos pro negotiatione certa, & sine periculo, adhuc accipit lucrum correspondens mille aureis, seu, ut explicamus infra, c. sequenti, §. 1. n. 3. usui mille aurorum.

6. Ad argumentum Soti jam est responsum, respondendum enim est eum, qui confert pecuniam sine periculo nihil conferre; confert enim ipsam pecuniam, quæ dixit lucri, non ex se sola, sed, ut conjuncta cum negotiatione.

7. Non nego interim, aliquando operam aliquam plus valere, quam pecuniam, si hæc sit parva, illa verò industria contineat; immò non raro valere multo plus poterit opera, quia hæc propinquius, & efficacius facit ad pariendum lucrum, cum pecunia solum in materia; sed nihilominus aio, plus aliquando valere potest pecuniam, quando videlicet hæc est magna summa, opera verò exigua: quæ omnia sunt à prudenti viro expendenda, ut ex his decernatur, quæ rata lucri donis sit Sociis.

8. Denique ad praxim hujus æqualitatis servandam recuratur ad Consilium Caietani d. 2. q. 78. art. 2. quod refertur à Rodriguez, p. 1. *summ. cap. 4. §. 1. num. 1.* cuiusmodi ut conveniantur Mercatores (Addo ego Mercatores qui negotiationis, super qua iniit Societas) nam hi, ut perit experti, consideratis omnibus, æstimabunt pretium pecuniæ, & operæ, vel industriæ, quanti valeant in illa negotiatione, & quæ rata deinde lucri singulis sit distribuenda.

CAPVT V.

Vt Pecunia collata stet periculo Domini.

Quæ est Condicio Quarta.

1. **C**onditio hæc quarta duo involvit. Primum, qui confert pecuniam, debere, Societate completa, totam pecuniam sibi resumere, diviso, pro sua, lucro acquisito, diviso, inquam, inter ipsam, & socium, seu socios, qui operam contulerunt. Secundum, si socii pecunia pereat, totam perire ei, qui illam contulit, præcendendo ab aliquo iusto pacto, de quo mox §. 3. hæc enim duo dicit illud, stet periculo Domini, de quibus duobus separatim jam subdo.

§. I. Tota pecunia, finita Societate, debet dari ei, qui illam contulit.

1. Claritatis gratia, sic figuramus casum: Antonius confert centum aureos in Societate, quam, praescindendo ab alio pacto, init cum Petro; Petrus vero confert operam suam, quae iudicio prudentis, valet decem, v.g. aureos. Finita Societate, lucrum ex negotiatione invenitur esse viginti aureorum, ex quibus, certum est, decem deberi Antonio, & decem Petro. Sed quaeritur, an ex illo capitali centum aureorum debeant dari solum quinquaginta Petro, dando reliqua quinquaginta Antonio. An vero omnes centum debeant dari eidem Antonio, qui eos contulit?

2. Molina, disp. 416. conclus. 1. Caietan. 2.2. quaest. 28. artic. 2. ad 5. Delugo disp. 30. de iustit. a num. 26. alique, quorum fundamentum mox proferam, asserunt, debere dari Antonio solum quinquaginta. Sed Valentia tom. 3. in 2. disp. 5. quaest. 24. part. 2. Navar. in summa, cap. 17. n. 252. & 253. Caietan. sibi contrarius in summa, v. Mercatoris Societas, Sa v. Societ. num. 5. Filiuc. tract. 38. c. 3. num. 44. plures referens, alique asserunt, debere dari Antonio omnes centum, praescindendo, ut dictum est, ab aliquo pacto in contrarium. Hanc posteriorem opinionem, utpotè ipsa praxi comprobata, ego libentius sequor, quam esse de iure communi, docet cum multis Bonac. disp. 3. de contract. quaest. 6. p. 3. n. 11. quatenus lata volunt, ut pecunia pertineat ad eum, qui eam contulit. Hec autem opinio probatur. Nam, ut supra diximus, & docet Sanctus Thomas. 2.2. quaest. 78. art. 2. ad 5. qui pecuniam alteri in Societatem confert, non transfert dominium pecuniae in illum. Ergo finita Societate, illam totam, ut suam, reassumere, non est prohibendus: sicuti totam ipse solus amitteret, si casu periret, ut §. seq. dicemus. Adde, in praxi nullum societatem in iurum, si ad se non reditura esset tota pecunia (quod certe esset damnum Reipublicae) nam Antonius, qui in exemplo allato contulit centum, deinde finita societate non haberet, nisi sexaginta; nimirum quinquaginta de sua pecunia, & decem de lucro. Quod inconveniens ostendit, argumenta adversariorum efficacia non esse.

3. Porro, omnia adversariorum argumenta reducuntur ad hoc, quod sic propono: Si non esset dividenda pecunia collata in socios, finita societate, servaretur aequalitas; ergo, &c. Antecedens probatur, nam alter amitteret totum, quod contulit, id est, totam suam operam, quae, v.g. aestimabatur, (ut hic supponimus) decem aureis, & alter non amitteret, sed recuperaret totum, quod contulit, id est, totam suam pecuniam; Quae certe est inaequalitas intoleranda.

4. Respondeo: Nego antecedens; cum enim pecunia à te in Societate collata debeat iterum ad te, integra reverti, falsum est, centum aureos collatos valere in casu nostro, ut centum (id nota, amabo te studiose Theologe) nam in casu nostro, in ordine scilicet ad negotiationem societatis, centum aurei cum morali spe, quo ad te recursum sint, non valent centum; est enim, ac si solum locates usum illius pecuniae pro aliquo tempore, qui usus non valet, ut centum, sed longè minus, & forte, ne ut decem quidem: Sicuti si tu unus ex sociis confertes navigium ad asportandas merces tibi, & sociis communes, quod navigium valet mille aureos, non indicaretis conferre mille, sed valde minus, v.g. quinquaginta; non enim confers navigium, nam non facis illud commune cum sociis, sed confers usum navigij, quod valet solum, ut quinquaginta. Ita proportionaliter in casu nostro. Nam licet conferas centum aureos expendendos in negotiis Societatis: tamen, cum illi ad te reditura sint, morali aestimatione, immodè re ipsa, non valent pro Societate tanti, quanti, valerent si reditura non essent. Contra verò opera, ut decem, cum in casu nostro reditura nunquam sit, sed omnino peritura,

semper, & absolute, ut decem valet. Prudens ergo vir cum aequalitatem partium collatarum expendit, rectè dicit te (qui centum aureos confers, totidem, finita Societate, integros recuperaturus) & me (qui confero operam, ut decem, omnino deperendam) aequales partes, conferre, atque adeo, finita Societate, iuste posse inter nos aequaliter dividi lucrum; vel ad ratam in aliis casibus, ubi idem vir prudens, his omnibus perpensis, iudicabit, vel te, vel me minus contulisse.

5. Dixi autem (praescindendo ab alio pacto) nam licitum est, contrahere Societatem cum pacto, ut pecunia, quam confers, sit communis cum Socio, qui operam solum ponit. In qua conventionione, finita Societate, dimidia pars dictae pecuniae tibi dabitur, dimidia Socio, & quia sub hoc pacto pecunia, dum viget Societas, esset in dominio utriusque, quia, ex conventionione, facta est pro eo tempore communis, ideo, & lucrum, ut habent Navar. loc. cit. num. 254. alique, quod enasceatur ex pecunia utriusque, erit utrique distribuendum, & (si illa peribit) utrique aequaliter perire debet. Hoc autem Beneficium, quod facis Socio, communicando illi hoc pacto tuam pecuniam, debere compensari aliquo modo à Socio, manifestum est, & sanè compensaretur, si opera eius esset magni momenti ad lucrum consequendum, tua autem pecunia esset modica, vel quid simile.

6. Inquires: Quando celebratur contractus Societatis sine expressione praedicti pacti, intelligiturne factus cum conventionione faciendi communem pecuniam cum Socio, necne?

7. Respondeo, asserendo prius duo principia. Primum, quod habetur, l. prius, §. Si placuit ff. de aqua pluvia arcenda. L. Quod si nolit, §. Qui assiduam, ff. de aedilitio edicto: Quando contractus quilibet celebratur, censetur celebrari iuxta consuetudinem loci, in quo sit, cuius ratio est, quia, in his communibus contractibus, quilibet implectit intendit facere, quod alij communiter faciunt. Secundum, de quo vide Nald. v. Actus, n. 7. & Lezanam in Consulto 49. num. 3. Contractus in dubio censetur celebrari cum aequalitate utriusque contrahentis, nam secus praesumeretur delictum in contrahente, quod nunquam praesumi debere; nisi clarè de illo constet, omnia iura clamant.

8. Ex his Respondeo ad quaestionem propositam: Si in loco, ubi celebratur contractus, adsit consuetudo, ut per illum contractum fiat communis pecunia cum Socio, vel non fiat, iuxta illam est iudicandus celebratus fuisse, si aliud expressè conventum nequaquam sit; Pater id ex primo principio, & docet Sylvest. loc. cit. Sa v. Societas, Mol. disp. 416. conclus. 2. alique. Quod si non adsit eiusmodi consuetudo, praesumitur pecunia non esse communicata, sed remanere sub dominio conferentis. Pater id ex principio secundo, secus enim praesumeretur delictum inaequalitatis committi, supponimus enim non compensari aliunde, si enim appareret in contractu eiusmodi compensatio, iam adesset expressa conventio, & non essemus in dubio.

§. II. Si perit sine culpa Socij pecunia, perit ei, qui eam contulit.

1. Merito, praescindendo ab aliquo peculiari pacto, vel consuetudine Regionis. Ratio est, quia sicuti tota Domino remanet, si remanet: ut §. praeced. diximus, ita, si sine culpa Socij perit, tota eidem percat, necesse est. Id, quod verum est, non solum, si percat post inceptam negotiationem, verum etiam, si percat, antequam negotiatio, seu opera Socij incipiat, sed post contractum Societatis initum, quia etiam tum illa pecunia, ut ex praedictis constat, est ejus, qui illam contulit, atque adeo illi perit. Ita Tolerus lib. 5. cap. 42. Lopez lib. 1. de contract. cap. 64. Sylvest. v. Societas primò, q. 6 Navar. in summa, cap. 17. num. 251. alique. Dixi sine culpa Socij percat) si enim illa adsit, socium culpam

E c 4 tem

tem fieri reum restitutionis, dicitur *infra* latere.

2. Dices pro Molin. *de q. 6. conclus. 1. & Lessio lib. 2. cap. 25. dub. 2. num. 1.* contrarium sentientibus: Si unus socius negotiationis causa conferret centum aureos, & alter alios centum, ex quibus ducentis centum poneretur in una Navi, & in alia Navi alii centum, quarum deinde Navium una dumtaxat submergeretur; sane ex centum salvis, dimidia pars, id est, quinquaginta, essent unius socii, & quinquaginta, id est, alia dimidia pars, esset alterius; Ergo pari modo in casu nostro; si perit pecunia, quamvis antequam incipiat negotiatio, dimidium pecunie uni, dimidium alteri perire debet, sicuti perit in precedenti casu.

3. Respondeo: Nego paritatem, disparitas enim est valde manifestata; siquidem, in casu Navium, illa ducenta propter communicationem talis Societatis, erant utriusque socii; & quando in unam Navim injecta fuerunt centum, non fuerunt injecta illa centum unius socii, sed utriusque, ergo & utriusque esse debent illa centum, quae perire. Non sic in casu nostro, ubi illa pecunia collata tota est unius socii, ante coeptam negotiationem, ut supponimus, & dictum toties est, ergo tota ipsi uni perire necesse est.

4. Signatur autem *num. 1.* additum est (nisi peculiare pactum intercedat) possunt enim socii inter se convenire, ut damnum pecunie inter se sit commune, ita, ut si pecunia pereat, utriusque percat, id est, dimidia pars conferenti illam & dimidia alteri socio. Ita Navarrus, *loc. cit. num. 253.* asserens hanc doctrinam esse communem. Et quidem hoc pactum illicitum non est quia conjungi solet cum illo alio pacto, quod explicuimus *g. preced. num. 1.* hoc est, ut si pecunia remaneat integra, dividatur cum socio, quod esse licitum *ibidem* dixi, nam positus conjunctionem his duobus pactis, est æquale periculum, ut socius acquirat dimidium, vel ut, illud amittat, & solvere de suo debeat.

5. Quod si par periculum non adest, vel velis pacisci, salvam pecuniam totam tibi fore dandam, nullam vero non tibi fore totam *enim*, sed socio, illicitum clare id pactum erit, nisi forte *ibi* de tantum onus, quod imponis socio, compenses, ut *ibidem* dixi. Et cum hac compensatione solum approbat id in Iure Pontifex. Vide *cap. 1. de Commodato, & cap. 2. de Deposito.*

6. III. An sit modus, quo licite periculum capitalis, imo, & lucri, totum rejicitur in Socium.

Ubi:

De Societate cum tribus Contractibus.

1. EX vi solius contractus Societatis non licere, totum periculum in socium rejicere, nimis clare patet ex dictis; id enim, ut vult S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. Valent. *l. sup. c.* & passim repugnat naturæ contractus Societatis ut vidimus.

2. Votum ingeniosi Theologi fortè ab ipsis Mercatoribus, quorum res interest, admoniti, invenerunt modum rejiciendi totum periculum in unum ex sociis sine iniuria. Si nimirum celebrentur tres contractus. Primus sit Societatis, ex cujus vi periculum stabit solum ex parte unius socii. Secundus sit contractus Assesurationis, quo ille Socius, qui operam suam promittit, assuret alteri Socio conferenti pecuniam, quæ est capitale, seu, quæ dicitur Sors principalis; assuret, inquam, illam, & pro hac assesuratione aliquod moderatum pretium, & proportionatum accipiat à Socio conferente prædictum capitale. Tertius sit alius contractus similis Assesurationi, quo videlicet idem Socius, qui operam suam promittit, assuret alteri Socio, qui pecuniam contulit, lucrum aliquod certum, quod prudenter creditur acquirendum esse ex tali negotiatione, & item pro hac secunda assesuratione aliquid proportionatum accipiat à Socio.

3. His tribus contractibus positis (qui possunt fieri, vel separatim, vel simul) Socius conferens pecuniam, securus de sua sorte, & de lucro: Alius autem tria facit, sed subit periculum solvendi sortem, & lucrum, fortè hæc percat. Recole ea, quæ dixi *supra*, tract. 3. de Camb. c. 5. §. 7. ubi eisdem tres contractus explicuimus, & addidimus, posse etiam ad majorem securitatem accipi genus, &c.

4. Hic modus licet ab Azor. 3. *plib. 9. de Societ. cap. 1. quest. 6. Soto de Inst. lib. 6. quest. 6. artic. 2. alii que dicuntur*, tanquam usurarius, approbatur tamen ab aliis, ut Valent. *tom. 3. in 2. d. 5. quest. 24. p. 2. Lessio lib. 2. cap. 25. dub. 3. Rod. in summa p. 1. cap. 46. & Delugo. d. 30. de inst. d. num. 40.* vocante hanc sententiam satis communem, aliique multis apud citatos, qui addunt cum Delugo. *l. c. n. 57.* illum non esse contra motum Sixti V. qui cepit: *Detestabilis avaritia*, condemnantis, ut asserunt, Societates, in quibus saluum exposcitur capitale, condonavit enim dumtaxat, quando non intercurrent prædictæ assesurationes.

5. Merito autem juvat me sequi hanc posterius sententiam, nam sicuti hi tres contractus possunt contrariis distinctis personis liberari, quia honesti sunt, & iusti, ut etiam ipse idem Azor. *loc. cit. c. 4. quest. 4.* negat non potuit *ibidem*, ita poterunt, cum eadem, quandoquidem identitas personæ substantiam contractus non destruit.

6. Obijcies cum Soto, aliiisque, qui noverunt hereticæ sunt contrarii. Is, qui per quoscunque contractus pecuniam suam ita tradit, ut periculum ipsius in alterum transferatur, non censetur illam dare in Societatem, sed dare mutuum, ergo non potest licite ex illa acquirere lucrum; ex mero enim mutuo usus est, lucrum erigitur. Antecedens probatur; Primum, quia si amittit unum minimum illius pecunie, & transfert in alium. Secundum, quia potest tunc socius illa pecunia uti ad quoscunque usus voluerit, quod est clarum signum, dominium pecunie in ipsum fuisse translatum, cum ergo in mutuo transferatur dominium pecunie mutuatæ in mutuum, in Societate autem non ita, ut vidimus *supra* *cap. 1. num. 4.* consequenter fit, ut in casu trium contractuum is, qui pecuniam confert, mutuum det pecuniam, non vero in Societatem, unde lucrum inde sperare non poterit.

7. Respondeo, Negando antecedens: Ad probationem primam, Respondeo, negando item antecedens, nam enim collator pecunie amittit dominium pecunie collatæ, nam sicuti si pactum assesurationis inter eos terminatur, non amitteret suæ pecunie dominium, ita, si inter eos eodem socio; Et sicuti non amittit dominium Mercator, nec domus, nec prædii, si illi quis ea assuret, & illa ea retineat, vel titulo famulatus, vel condictionis, ita tamen si domus, vel merces casu perant, damno quævis assuretur, percutit, ita in casu nostro. Radicis autem ratio hujus rei est, quia per se, & absolute, atque directè, merces illæ, ut etiam pecunia, de qua agimus, percutiunt ipsi collatori, quia ipsius sunt; res enim, quævis perit, Domino perit; Nihilominus veluti indirectè damno assuretoris percutit, quia assuretoris, pretio assesurationis accepto, promittit illud damnum sortè providiendum domino resarcire. Ad secundam probationem antecedentis, Respondeo, Socium illum non posse per se uti illa pecunia ad usus, quos voluerit, sed solum ad negotiationem conventam: cito, possit per accidentem quatenus ipse se exhibet resarcire totam pecuniam, si forte percat, & resarcire item totum damnum, si forte ex eo arbitrio suo usu damnum aliquod patiatur Dominus pecunie.

8. Confirmatur, nam si socius, qui pecuniam contulit, illamque assuretur, nullam aliam pecuniam haberet, nisi hanc, & tamen ipse esset debitor aliorum etiam anteriorum creditorum, non posset hac indivisa pecunia solvere illa debita, quævis anteriora, & privilegia

ptur. legata, hæc enim pecunia tota Collatoris est, non Socij. Immo, si Socius illam alteri dedisset, certe Collator ageret rei vindicatione, & eam tanquam indivisibiliter suam, recuperaret; ergo falsum est, quod Socius assumpsit, nempe, pecuniam illam esse mutuum sortis datam. *Leg. Valentian. tom. 3. in 2. 2. disp. 5. q. 24. part. 2. Molin. d. 417. Less. lib. 2. cap. 25. dub. 3. num. 29. alioque.*

9. Quæres per hanc occasionem: Si socius accipiens pecuniam ad negotiationem illam, tamen non negotiatur, poteritne iuste Collator, qui prudenter processit, exigere ab ipso lucrum (quamvis illud non asscuraverit) ac si ex negotiatione illud acquisitum esset?

Respondeo, licet cum Mol. loc. cit. & Less. loc. cit. n. 31. v. Notandum tamen est primo, posse, non quidem tantum lucrum immediatum suæ pecuniæ, iam enim pecunia non fuit data ad negotiationem, sed poterit exigere tanquam lucrum, quod ipsi cessavit ex fidei-
litate.

Dixi (qui prudenter processit) nam mera esset usura, si daret ei, quem scis, non negotiaturum, tunc enim non esset vera, sed ficta societas: in quo vercor, ne multi hac nostra ætate turpiter labantur.

Praxis predictorum trium Contractuum

10. Iam verò non gravabor facilitatis gratiâ hîc ponere formulas Contractus, seu Chiographi, quibus, sive implicite, sive explicitè inestur societas in quacunque materia per tres dictos Contractus. Sunt autem huiusmodi, quas ad verbum lego apud Cælestinum *tr. 12. c. 6. v. Quæres secundo*. Expresit, inquit, sic coniungi possunt hi Contractus:

Ego infra scriptus confiteor hoc meo Chiographo, accepisse à Titio mille aureos, ut eos impendam legitime negotiationi, & loco lucri incerti maiori, quod illi ex hac negotiatione posset competere, promitto, me illi daturum sex, & partem quartam in centum quotannis, & eiusdem summa mille aureorum periculum præstiturum.

11. Tacite, sic: Confero tibi mille ad mercaturam, cum pacto, ut quotannis solvas quinque, vel sex, salva sorte. Vel: Ego subscripsi testor, me accepisse mille in mercaturam cum pacto, ut solvam quotannis sex, & quartam partem in centum, salva sorte.

Hæc Cælestinus in universum. Nam cæterum nos formulam, quâ per hos tres contractus datur pecunia, ad præcariam negotiationem Cambij, attulimus *suprà, tr. 3. de Camb. c. 5. §. 7. n. 12.*

12. Idem Cælestinus *ibidem* rectè deinde (quod accepit à Lessio loco citato) monet, expedire hoc tempore consilium dare Fidelibus; ut hoc modò contrahant, quia, sic contrahere, cedit in Mercatorum commodum, & Fideles pecuniam suam negotiari volentes, ab usuris se liberant, & tamen lucrum ex sua pecunia reportant.

Quantum lucri Collator pecunia potest acquirere cum dictis tribus contractibus.

13. Denique ad complementum præsentis doctrinæ, Inquirat timoratus, quantum lucri possit exposcere pro se; relicto reliquo ipsi socio, pro asscuracionibus dictis. Dat. v. g. centum, poteritne pro se velle solum sex, ut est in prædictis formulis Cælestini, an etiam possit plus, septem, octo, decem, &c.

Respondeo, ex Delugo, d. 30. de *Inst. n. 40*. lucrum certum, quod potes exigere, debere esse adeo moderatum, ut attento capitali, quod confers, & spe lucri, quod posset esse in tali negotiatione, appareat, compensari iuste periculum, quod alter socius subit circa securitatem capitalis, & certitudinis lucri, quod tibi promittit. Ratio est, quia secus non satisfit iuste tanto oneri, quod socius subit asscurandi, tum capitale, tum lucrum.

14. Ex qua doctrina sequitur, aliquando posse, ex

centum iuste quotannis exposci sex, vel septem, aliqua n. do decem, iud. aliquando etiam plus, quando nimirum prudentes Mercatores sine fraude iudicant, lucrum ex suscepta tali negotiatione posse adeo esse notabile, ut valeat Socius, & decem, & plus tradere Collatori pecuniæ & cum ea parte lucri, quæ ipsi remanet, possit iudicari satisfactus de periculo, quod subit per dictas asscuraciones. Rectè ergo Bonac. d. 3. de *contract. quest. 3. p. 11*. cum supposuisset, *ibidem*, num. 3. posse licet exposci quinque pro centum, addit, *ibidem*, num. 6. In *Societate trium contractuum potest plus exigi, quod negotiatio minus lucrum offert*.

15. Ex eadem doctrina sequitur, contrà aliquando, vix duo, vel tria exposci iuste posse ex centum, quando scilicet ea negotiatio, quæ suscipitur, lucrosa valde non est. Determinent igitur experti, attenta qualitate negotiationis, & similibus circumstantiis, quas circumstantias in simili, ne dicam in eadem re, considerandas ego proposui *suprà, in tract. de Camb. c. 5. §. 7. n. 6*.

16. Utile est etiam, ad lucrum hoc decernendum, expendere id, quod in simili expendit Valentia, *tom. 3. in 2. 2. d. 5. quest. 2. §. 2. v. Qui autem*. Loquens enim de Emptione Censui Realis ex re fructifera ad quinque pro centum quo pacto ex utraque parte, id est, Venditoris, & Emptoris, ut revendi, & recimi quodcumque tempore ab illidem possit, & altero volente, omnino debeat, & tradit, definire volens quantitatem iusti pretij pro dicto Contractu: Illud est estimatio recta, quæ est prudens, & ea est prudens, quæ est utrique commoda ita ergo in casu nostro, si definitio tanti lucri cedat sine furo, & fallacia in commodum utriusque Socij, prudente iudicio sic decernente, (definitio, inquam, tanti lucri, non mensurata ex necessitate alterutrius Socij, sed ex vi talis negotiationis susceptæ) poterit rectè pronuntiar, iuste lucrum illud acquiri.

CAPUT VI.

Vt Pro Quantitate Partium collatarum lucrum dividatur.

Quæ est Conditio Quinta.

1. Quoniam variis modis partes à Sociis conferri possunt; nam posset unus operam dumtaxat conferre, alter dumtaxat pecuniam vel unus partem pecuniæ, & operam, alter verò tantummodo pecuniam, vel uterque pecuniam, & nihil operæ, quam operam, ponere posset Tertius quilibet ex communi utriusque, immo, & multorum sociorum pecunia conductus, vel contrà, nemo pecuniam, sed omnes operam tantummodo, ut quando plures conveniunt, ut lucra omnia ex suis exercitiis acquisita sint communia, nullum capitale conferendo, ideo tunc lucrum erit dividendum, vel per partes æquales, vel proportionales iuxta maiorem, vel minorem æstimabilitatem eorum, quæ contribuantur, quod est servari æqualitatem Geometricam, non verò Arithmetica. Memores enim nos esse oportet Aesopi fabulæ: Leo, Asinus, & Vulpes, inita societate, egressi sunt ad venandum. Multa igitur præda capta, præcepit Leo Asino, ut eam ipsis divideret. Ille, tribus patribus factis æqualiter, ut eligerent eos hortabatur. At Leo exandescens Asinum devoravit. Vnde Vulpi, ut divideret mandavit. Illa verò in unam partem omnibus congestis, tibi minimum quoddam seposuit. Tum Leo ipsi: Quis te, ô optima, dividere sic docuit? est ea Asini (inquit) calamitas Affabulatio Aesopi. Fabula significat, castigationes esse hominibus aliorum infortunia. Affabulatio mea pro re nostra. Divisionem in societate iuxta singulorum merita esse expediendam. Neque enim par est, ut is, qui strenuam Leonis instar operam navat, perinde, ac imbellis quilibet, æquali præmio decoretur.

Iam